



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

Quæstiones quotidianæ, Pastores & Sacellanos concernentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

510 RESOL. PASTORAL.
QUÆSTIONES QUOTIDIANÆ

Pastores & Sacellanos concernentes.

I. **Q**uæritur. Vtrum Sacellanus alicujus Pastoris, possit audire confessiones Parochianorum alterius Pastoris in aliena Parochia? Resp. non potest, si non sit approbatus pro illa.

2. **Q**uæritur. Vtrum Sacellanus possit audire confessiones alienorum adventitium ad Parochiam, in qua deseruit? Resp. Potest, si cum licentia Pastorum suorum saltē interpretativa accedant, quam tamen facile non præsupponant nisi ex ferè certis indiciis.

3. **Q**uæritur. Vtrum Sacellanus transiens ad ministerium alterius Parochi, debeat denuò approbari pro ista nova Parochia? Resp. Debet approbari de novo pro illa, si numquam pro illa fuerit approbatus.

4. **Q**uæritur. Vtrum Sacellanus, qui aliquando servivit alicui Parochia, propter vel mortem, vel absentiam Pastoris, omnia Pastoris munia exercens, postea transiens ad alium pagum, ut officii Sacellani tantummodo agat, debeat pro illa

illo approbati, quandoquidem majus officium exercuerit? Resp. Debet pro illo pago approbati.

5. *Quaritur. Vtrum Pastor habens eandem Confraternitatem in sua Parochia, possit audire confessiones alienorum adventantium ad se, Indulgentiarum precandarum gratia, titulo Rectoris Confraternitatis? Et an possit similiter tunc Sacellanus?* Respon. potest id Pastor, non titulo Rectoris Confraternitatis, sed virtute licentiæ saltem interpretatiuæ datæ à propriis Pastoribus. Potest & Sacellanus approbatus,

6. *Quaritur. Vtrum alii Pastores non possint in isto loco Confraternitatis confessiones alienorum audire Similiter Sacellani?* Resp. Possunt cum licentiâ illius qui habet ibi jurisdictionem, Sacellani autem ipsorum non possunt, nisi sint approbati pro illo etiam loco, aut nisi suos ibi audiant.

7. *Quaritur. Vtrum etiam Pastor in propria Parochia possit audire confessiones alienorum etiam alterius Diocesis*

adventantium ad se. Similiter an *Ge-*
jus Sacellanus? Respon. Posse, si ex
 fraude non accedant, sed occasione,
 vel indulgentiæ, vel peregrinationis,
 vel rationabili alia causa, ibi existen-
 tes volunt confiteri. Si autem suspicio
 sit venire ad fugiendam auctoritatem
 propriorum Pastorum, non possunt
 audire.

Sig. erat: *Io. à Chokier Canonicus &*
Vicarius Leodiensis.

Ex quibus adverte 1. gravem esse
 errorem quorundam Sacellanorum,
 qui pro certâ Parochia approbati, im-
 miscent se audiendis confessionibus
 quorumcumque, etiam extra Paro-
 chiam pro qua sunt approbati.

Adverte 2. multò magis errare, si in
 aliena Diœcesi audiant, errare quoque
 Pastores, qui eos advocant ad sibi au-
 xiliandum. Quod vidimus praticari
 erroneè in Parochia de *Fagnolle* sub-
 dita *Namurcensibus* ubi solitus erat
 advocari pro auxilio Pastoris ad con-
 fessiones excipiendas Sacellanus ali-
 quis in *Matania* (qui est locus Diœcesi

Leodiensis) approbatus, ac pro illo solum pago admissus.

Adverte 3. errasse quoque gravissime Pastores aliquos, qui titulo Confrat. Rosarii in Parochia sua erectæ, putarunt sibi licentiam per hoc factam absolvendi à quibuslibet casibus reservatis: eò quòd in aliquibus Bullis Pontificum ea de re fiat mentio Sed non adverterunt eam auctoritatem concedi Confessariis Ord. F. Prædicat. non verò quibuslibet Cōfessariis. Nec Frat. Prædicatores hanc auctoritatem aliis possunt communicare, etiam pro illis qui confraternitati adscribuntur absolvendis.

Adverte 4. errare etiam eos, qui relicta curâ Pastoralis, putant sibi licere virtute prioris Pastoratus, sive approbationis per illum, audire confessiones in tota Diœcesi; non obstante quod aliam curam Pastoralem non suscipiant. Concilium enim Trident. expressè dicit, quod illi censeantur approbati, qui *Parochiale beneficium habent*; quod intelligitur de actualiter

Ff s habent

habentibus; unde illis dimissis cessat non solum jurisdictio, sed & approbatio, nisi ab Episcopo iterum petatur. In quo adverti olim errorem contingere in *Oppido Thudinensi*: ubi annuatim ferè ad administrationem Curæ (quæ Capitulo incumbit) admittebatur novi Sacerdotes, & ad hujus effectum procurabat Capitulum eos ab Episcopo approbari: illi autem non obstante quod post annum unum vel alterum illam administrationem dimitterent, ingerebant se audiendis confessionibus quorumcumque in Diocesi, sine nova admissione sive approbatione, virtute prioris approbationis, quâ ad curam administrandam dicebant se approbatos fuisse.

Adverte 5. Quantum ad septimum attinet, Resp. ista conformis est resolutioni generali, quam dant communiter Theologi de iter agentibus, aut peregrinantibus. Dicunt enim quod licet olim peterent facultatem à proprio Parocho, ut aliis in itinere possent confiteri? nunc tamen ex consuetudi-

tudine, five tacita licentia Pastorum ,
 aut Episcoporum , posse confiteri Pa-
 rocho loci, ad quem perveniunt , vel
 Sacerdotibus ibi delegatis; Refertur
 que *Eugenius IV.* declarasse id etiam
 habere locum in annua confessione &
 communione. Dicunt tamen esse ne-
 cessariam bonam fidem , & veram
 causam: nam si quis tantum ageret i-
 ter , ut fugiat auctoritatem proprii
 Pastoris , non foret absolvendus. Vi-
 deri potest *Suarez* , alique ab eo ci-
 tati. Et certè , moraliter loquendo,
 necessarium videtur hanc concedere
 licentiam vel expressam vel tacitam ,
 ut hi quos à Parochiis certis de cau-
 sis, abesse contingit ad tempus, Con-
 fessariis quos pro oportunitate repe-
 rerint, possint confiteri , tum quia ti-
 mentes D E U M statim ubi peccato
 mortali verentur se obnoxios , Con-
 fessarii occasione oblata solent uti ;
 tum quia pii Festa B. V. & alia prin-
 cipalia haud solent prætereire sine con-
 fessione , & cum tunc contingat ab-
 esse à proprio Parocho , grave eis fo-

ret sine Sacramentis remanere. Unde non puto morosius hic agendum à Pastoribus, siue propriis, quasi debeant improbare similem tacitam licentiam; siue extraneis, dum bonâ fide requiruntur ad excipiendas talium confessiones, quibus ad Parochos non est facilis recursus. Contigit alicubi quendam ad sua negotia iter agentem, divertere in itinere ad Parochiam aliquam Missæ audiendæ gratiâ, ac ibidem obsecrare Parochum, ut exciperet confessionem suam ut tutius iter suum perficeret, peccato aliquo cujus sibi conscius erat, expurgato. Parochus hac in re scrupulosior tenuit, tamquam non habens facultatem absolvendi nõ subditum sibi. Eodem die contigit eum in nemore quodam propinquo à prædonibus spoliari, & interimi. Re ad Parochum delatâ, non potuit non graviter contristari, & seipsum coarguere, quod huic animæ opem non attulerit, rejectis scrupulis excipiendo ejus confessionem; cum etiam divinâ inspiratione ad id petendum tunc impulsus

videre.

videretur. Similes multæ causæ faciunt, ut prudenter tacitam illam licentiam in favorem pœnitentium datam interpretemur. Imò quidam à jure datam dicunt, cujus cōsuetudo testis existat, & id fundari potest in declaratione Eugenii 4. de qua Cajet. verbo *Absolutio*.

Quæritur verò iterum hic: An iterum agens per Diœcesim alterius Episcopi, ibi confitens possit absolvi à casu Episcopo suo reservato, si ibi non est reservatus? *Resp.* affirmativa probabilis est, & eam multi Theologi sequuntur. Ratio est, quia eo ipso quo iterum agit per aliam Diœcesim, & ibi cōfiteri potest, absolvi etiam potest more incolarum illius loci, quandoquidem Confessarii illius Diœcesis non teneantur scire casus reservatos in altera. Si ergo ibi casus non est reservatus, absolvi potest à quolibet Confessario. Si etiam ibi est reservatus, potest absolvi ab illis, qui ibi habent potestatem super reservatis. Cōsuli potest. *Navar. c. 27. n. 261. Sua-
rez. disp. 30. sect. 1. Filluc. Tract. 7. c. 10.*